



1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.



Inhalt.

1. Ermel, F. De cyanosi.
2. Kühn, D. C. G. Censura lexicorum medicorum recentium. VIII.
3. Fels, F. F. De gastromalacia infantum.
4. Kühn, D. C. G. Insunt additamenta ad clementiam medicorum veterum
a Do. A. Fabricio in bibl. graec. vol. XIII. p. 17-456. exhibitum. XIII.
5. Güntz, E. G. De via ac ratione, quo in instituto Trieriano artis obstetriciae usus et docetur et exercetur.
6. Kühn, D. C. G. De medicinae militaris apud veteres Graecos Romanosque
conditione IX.
7. Horack, J. C. Rarioris degenerationis telae cellulosae et cutis in auribus
historia.
8. Haase, D. G. A. De usu hydrargyri in morbis non syphiliticis.
9. Härtig, E. De cardialgia.
10. Kühn, D. C. G. Additamenta ad clementiam medicorum veterum, a Do. A.
Fabricio in biblioth. graec. vol. XIII. p. 17-456. exhibitum. XII.
11. Jani, H. L. De tympanitide.
12. Kühn, D. C. G. In Caes. Auct. notae notae D. G. Trilleri cum viris DD. com-
municatae. Spec. XIV.
13. Klotz, E. De vesaniae prognosi.
14. Kühn, D. C. G. Censura lexicorum medicorum recentium. VI.
15. Lane, G. M. De radice cairuae eiusque in hydrope efficacia et usu.
16. Haase, D. G. A. De usu hydrargyri in morbis non syphiliticis. Proel. IV.
17. Otto, E. G. De hydrope cerebri acuto.
18. Kühn, D. C. G. Additamenta ad clementiam medicorum veterum a Do. A.
Fabricio in bibl. graec. vol. XIII. p. 17-456. exhibitum. XI.

19. Schrag, L.E. De praecipuis differentiis quae inter nasendum naturamque
hominem obtineat.
20. Haase, D.G.H. De usu hydrargyri in morbis non syphiliticis.
21. Schultze, C.H. De cura doloris dentium. Prot. V.
22. Kühn, D.C.G. Additamenta ad elencium medicorum veterum,
a Jo. H. Fabricio in bibl. graec. vol. XIII. p. 17-456. exhibitum. X.
23. Vetter, J.A. Pauoula quaedam de dentibus purgandis et evellendis.
24. Kühn, D.C.G. Additamenta ad elencium medicorum veterum,
a Jo. H. Fabricio in bibl. graec. vol. XIII. p. 17-456. exhibitum. XIX.

D. CAROLUS GOTTLOB KÜHN

PHYSIOLOGIAE ET PATHOLOGIAE PROF. PVBL. ORD.

ET

VNIVERSITATIS LITERARVM LIPSIENSIS

H. T.

PRO CANCELLARIVS

PANEGYRIN MEDICAM

IN

AVDITORIO IVRIDICO

D. VII. MENS. DECEMBRIS A. R. S. CIOIOCCCCXXVII

CELEBRANDAM

INDICIT

Censura lexicorum medicorum recentium.

VIII.

Quam infelices novorum instrumentorum inventores in nominibus excudendis sint, quibus instrumenta insigniri posse putant, pluribus exemplis a me demonstratum est. Sed non desinunt eiusmodi homines, eruditionis fucum affectando ignorantiam prodere suam. Sic *Sarlandierius* nuper instrumentum invenit, quod hirudinum penuriae, in quam ne ob enormem earundem hisce temporibus abusum incidamus, haud temere metuendum est, mederi debet, eique absurdissimum, quod unquam excogitatum est, nomen *bdellometri* imposuit, a βδέλλα, *hirudo*, et μέτρον, *mensura*, quasi hirudo metienda sit! Quod quidem eximium videlicet instrumentum chirurgicum peculiari libello, ab ED. GRAEFIO in nostram linguam Berol. 1820 translato, ab auctore descriptum atque depictum, a Jo. COSTERO (*Handb. d. chir. Operat.* Leipz. 1825. p. 362.) paulo plenius, a T. W. G. BENEDICTO (*krit. Darstell. d. Lehre v. d. Verbänd. u. chirurg. Werkz.* Leipz. 1827. p. 106.) brevissime, uti meruit, commemoratum est. Miror tamen, Virum Doctissimum, qui alias iure meritoque viros, graeci sermonis aliquam notitiam habere simulant, acriter taxat (vid. p. 525. l. c. not. 35.), huius instrumenti ineptissimam denominationem silentio praeteriisse. — Aeque absurdum nomen a J. F. JOHNIO (*Handwörterb. d. Chem. Th. I.*

p. 287.) instrumento datum est, cuius auxilio aëris atmosphaerici ad respirationem ineptitudo, quae non ab imminuta principii oxygenetici quantitate pendet, definiiri possit. Ad similitudinem igitur *eudiometri* formavit cacometrum. Quamquam autem prior vox minime id significat, quod debet: nam *εὐδία* serenitatem tantum aëris, non autem eius respirationi convenientem bonitatem, a sufficiente principii oxygenetici quantitate effectam, denotat; tamen longe peior est instrumenti *cacometri* denominatio, quippe quae nihil aliud, quam *malam mensuram* indicare potest, uti *κακομετρεῖν*, *male metiri*. — Cum omne trinum perfectum sit, duobus instrumentis, quorum denominatio graeca damnanda est, tertium addam, a VACCA-BERLINGHIERIO excogitatum atque cognominatum. Scilicet celebris ille inter Italos chirurgus, qui periculum bene norat, quod cum oesophagotomia propter asperae arteriae et carotidis, proxime oesophago adiacentium, metuendam vulnerationem coniunctum est, illud suo instrumento immittit, penitusque removere studuit. Constat autem illud e canali argenteo, modice incurvato, in altera extremitate clauso, cuius anterior superficies per tertiam totius longitudinis partem fissa est. Cavitas canalis continet stilum, e duabus laminis constantem, quarum quaeque in libera extremitate sua globulo dimidio munita est, aequè incurvatum, maxime elasticum, qui in rectam quidem lineam extendi potest, sed, ut primum vis flectens remittit, non solum priorem incurvatam directionem denuo assumit, sed utramque laminam quoque a se invicem longius removet. Hic igitur canalus, post factam integumentorum incisionem, per oris aperturam in oesophagum immittitur; posteaque

stilus versus fissuram protruditur, quam ubi attigit, per eam foras ob elasticam suam naturam prodit, et anteriorem oesophagi parietem extrorsum premit, sicque oesophagotomiae periculum imminuit. Huic instrumento inventor *ettopesophagi*, non *ectoesophagi*, uti Cel. *Benedictus* l. c. p. 525. scripsit, nomen imposuit, quod cum ex *ἐκτοπος*, a loco suo remotus, et *οἰσόφαγος*, *gula*, compositum sit, oesophagum a loco suo remotum denotaret. Sed praeter incommodum vocis sensum etiam compositionis ratio reprehendendi causam offert. Solent enim Graeci in componendis vocibus e duobus substantivis illi, quod ab altero efficitur, s. ipsi aliquam impertit qualitatem, priorem locum adsignare, ut *βλεφαροπτῶσις*, *γαλακτόχρως*, *ὀδοντάγρα* et similia. Ad horum igitur similitudinem, si graeca denominatio omnino necessaria fuerit, poterat fortasse formari *οἰσοφαγεπιεστήριον*. Nam *ἐπιεστήριον* instrumentum a Polluc. onom. X. 155. vocatur, quo aliquid in maius extenditur spatium.

Ὀρθοπαίδειαν dicunt viam ac rationem denotare, quae impediatur, quominus infantum artus spinaeque a naturali forma deflectat, aut si hoc iam acciderit, eos in statum normalem reducat. *Ἀ παιδεία*, *educatio et institutio infantum*, aut a *παιδιά*, *aetas infantilis* et *ὀρθός*, *rectus, erectus*. In omnibus enim vocibus, quibuscum *ὀρθός* coniungitur, hae notiones locum habent, v. c. *ὀρθόκοιλος* a Galeno comm. 5. de artic. p. 654. et 656. de artibus usurpatur, qui haud flecti possunt, sed recti atque immobiles persistunt. *Ὀρθοπάλη* ap. Lucian. Lexiph. 5. p. 327. lucta, quae erecto corpore perficitur; *ὀρθόκερως*, qui recta, non inflexa cornua habet, Sophocl. apud Poll. II. 51.; *ὀρθο-*

πνοία, respiratio, quae non nisi erecto fit corpore. Ex his igitur patet luculentissime, vocem ὀρθοπαυδεία qui primus ad artus spinamque incurvata in rectum restituenda adhibuerit, graecae linguae ignorantiam prodidisse, et parum absum, quin credam, vocem hybridam ex graeco ὀρθός et latino *pedes* ab illo formatam fuisse. Quid autem, his bene pensitatis, sub professore publico *orthopaedices*, quo titulo A. IO. GEO. HEINIUS Herbipoli ornatus est, cogitandum sit, videant alii.

Thlabiae s. *Thlibiae* nomen tribui illis hominibus contendit CHR. FR. LUD. WILDBERG (*Handb. f. Physik.* II. 35.), quibus testiculi ita sunt compressi, ut semen secerni nequeat. Quamquam autem *θλιβίας* omnino, Hesychio teste, de iis, qui compressis testiculis evirati sunt, dici potest, tamen alteram vocem *θλαβίας* graeca lingua non agnoscit: potius *θλαδίας* dicendum est. Prior vox a *θλίβειν*, posterior a *θλάζω* derivatur, quod utrumque comprimere denotat. Zonaras p. 1046. *Θλαδίας* ὁ ἐννοῦχος. Locum a Zonara allatum, quem plenior Suidas attulit, et Summus Tib. Hemsterhusius ex Eunapio desumptum esse adseruerat, non posse ex hoc fonte haustum esse S. V. TITTMANNUS statuit, quoniam Eunapins aetatem Valentiniiani III., a quo Aëtius occisus sit, non attigerit.

Ἰσκαί. Occurrit vox haec in Paulo Aeg. *VI. c. 49. p. 192.* ed. Bas. et Alex. Trall. lib. XI. p. 625. ed. Bas., cum moneret vesicantium et causticorum medicamentorum auxilio podagricos levari, his utitur verbis: καὶ τὸ διὰ σκόρδων τε ἄλλους ἀφέλκειν, ἐπιπλασθέντα καὶ αὐτὰ μόνα τὰ σκόρδα, καὶ ἄλλως δὲ αἱ παρὰ τοῖς βαρβάρους ἰσκαί καλουμένοι, ad q. l. Goupylus p. 854. obser-

vavit, se ad marginem veteris interpretis scriptum invenisse, vocem ἰσκαί esse latinorum *esca*, et denotare medicamenta, quae edendo absumant, corrodentia: Trallianum enim interdum ambitiose latinas voces usurpare, quamvis multas idem significantes ipsi graeca suppeditet lingua. Eruditiss. Struve in additamentis ad Schneid. Lex. graec. laudat Cangii *Lex. med. et infim. latin.* qui, ut probet, *escam* a medicis pro quavis materia, ustioni partium apta, adhiberi, ad Theodor. Prisciani *Logic. lib. II. c. 21.* provocat, ubi *escae* et *cauterēs* coniungantur. Sed assentior Struvio, qui in Alexandri *l. c. ἰσκαί* legendum esse coniicit. Eandem medelam Paulo *lib. VI. c. 49.* adferendam esse puto: ἔτεροι δὲ οὐδὲ σιδήρῳ καίουσιν, ἀλλὰ ταῖς καλουμέναις ἰσκαῖς. εἰσὶ δὲ σπογγώδη τινὰ σώματα αἱ ἰσκαί, ἐν ταῖς θρουσὶ καὶ καρούαις (leg. καρούαις) γινόμεναι, τοῖς βαρβάροις μᾶλλον ἐν χρήσει καθεστῶτα. Suidae adducto addo Zonarae *lex. p. 1788.* ἰσκαί, ὀψάριον καὶ ξύλον, ἐν ᾧ ἀπτέται τὸ πῦρ.

Marmarygas derivat Blancard. a graeco μαρμαίω, quod per *resplendo* erronee exponit. Nam μαρμαίνειν de igne quidem aut flamma adhibetur, quae corpora consumit, exsiccatur et debilitat. Sic flamma dicitur μαρμαίνεσθαι, cum in eo est, ut extinguatur. Sed aliter se habet μαρμαίρειν, quod, Zonara et Suida testibus, idem est, quod λάμπειν. In Agathiae pereleganti epigramm. (*Anthol. V. p. 282. p. 126. ed. Tauchn.*) ἀλλ' ἔτι μαρμαίρουσι παρηίδες· ὅμιμα δὲ θέλειν Οὐ λάθει. De quorum verborum elegantia et fonte, unde color ultimorum verborum haustus sit, egit Jo. Toup. in *curis nov. in Suid.* p. 251. ed. Lips. Callistratus in *stat. c. 14. p. 162. ed. Jacobs.* *Ἀμφιγύτη*

ἐκβυθίζομένη, ἄγριόν τι καὶ φρικῶδες ὄρωσα, καὶ ἡλιακόν τι σέλας
ἐκ τῶν ὀμμάτων μαρμαίρουσα. Hinc μαρμαρυγαὶ sunt, secun-
dum Erotianum λαμπηρόνες πυκναὶ καὶ οἶον ἀστραπαὶ πυκναὶ,
ἀφνίδιοι, πυρώδεις, ὡς καὶ Ὅμηρος (Odys. θ'. vs. 265.) μαρμαρυ-
γὰς θηεῖτο ποδῶν. In ultima voce quamquam codd. Dorv. et Vind.
πολλῶν habet, tamen recte H. Stephanus ex Hom. restituit ποδῶν,
Hesych. μαρμαρυγαὶ αἱ συνεχῶς τῶν ποδῶν κινήσεις, ἢ λαμπηρόνες.

Phaenerobiota et cryptobiota. Mich. a Lenhossek *instit.*
physiol. Vienn. 1822. 8. 10. I. reiiciendam putat corporum *vi-*
vorum et *mortuorum* denominationem, et in eorum locum duas
supra positas voces sufficit. Qui quidem temere novaturiendi
conatus recte in reprehensionem incurrit Viri Docti, qui de illo
libro in ephemeridibus literariis (*Leipz. allgem. L. Z.* 1826.
No. 126.) iudicabat. Vellem autem illum non vitio haud dubie
typographico, *phaenerobiota* pro *phanerobiota* emendando ope-
ram dedisse, sed potius probavisse, vocem βιωτός id non deno-
tare, quod Lenhossekius opinatus est. Etenim illa non denotat
vivens, sed, ut Glossaria apte quidem, minus autem latine ex-
primunt, *vivibilis*, *dignus*, *qui vivatur*. Sic βίος βιωτός, quod
Cicero per *vitam vitalem* vertit *de amicit.* c. 6., ad q. 1. cons.
commentatt., saepe ap. Græcos occurrit v. c. Aristoph. Plut. vs.
196. κῆν ταῦτ' ἀνίστη, τετραράκοντα βούλεται, ἢ φησιν οὐ βιωτὸν
αὐτῷ τὸν βίον, et vs. 970. ἀβιώτατον εἶναι μοι πεποίηκε τὸν βίον.
Eurip. Hippol. vs. 828. Vid. Jacobs. ad Anthol. Palat. p. 559.
et Valcken. ad Theocr. Adoniaz. p. 217.

Lithotritia. Notissima recentissimis temporibus operatio
chirurgica, a Civialeo nisi inventa, perfecta tamen, qua calculi

in vesica urinaria instrumenti terebrantis, per urethram introducti, auxilio imminuuntur, posteaque forcipis ope per eandem viam extrahuntur. Nomen minus aptum, quod *Ca. Jul. Gu. Pa. Remer*, qui Civialei librum e gallico in nostrum sermonem (Vratisl. 1827. 8.) egregie transtulit, ex latino *tero* et graeco *λίθος* derivasse videtur, cum praefat. p. XII. instrumentum, cuius ope calculi comminutio perficitur, *lithrotritorem* vocaverit. Sed hoc graecae vocis cum latina connubium reiiciendum. Rectius fortasse operationem vocaveris *lithotresin*, a *λίθος* et *τρῆσις* i. e. perforatio, quae terebra fit, et instrumentum, quo illa perficitur, *λιθοτέρεθρον*. *τερέθρον* enim *terebram* significat, ut in Homer. Odyss. ψ. vs. 198. *τέτρηγα δὲ πάντα τερέθρω*.

Gynaecomastium (ita enim scribendum, secundum Galen. *defn. med.* p. 401. l. 6. to. IV. ed. Basil.) est illud corporis humani vitium, quo subiecta mammae pinguedo nimium augetur. Videtur igitur e Galeni sententia morbus, utriusque sexui communis, esse. Paul. tamen Aegin. VI. c. 46. *γυναικομαστούς* vocat non nisi mares, quibus mammae tempore pubertatis nimium intumescunt. Quam quidem intumescentiam in plerisque denuo subsidere; in nonnullis autem remanentem, ob indecentiam inde oriundam, operatione chirurgica tollendam esse, idem praecipit. Passovius, cum in Lex. graec. *μαστόν* de mamma virili non usurpari contendit, non videtur meminisse Polyb. III. 72. Xenoph. *exped. Cyr.* IV. 3. 5. Auct. *introduc. anat.* a Bernardo editae c. 33. Cons. Polluc. *onom.* II. s. 162. ibique not. Eustath. ad II. δ'. p. 452. ed. Rom. — Descendit a *γυνή*, gen. *γυναικός*, *mulier*, et *μαστός* Dor. pro. *μαστός*, *mamma*.

Sed sufficient haec. Nam Candidatus summorum artis medicae Praenobilissimus et Doctissimus

F R I D E R I C V S E R M E L

MEDICINAE BACCALAVREVS,

producendus et commendandus est, qui de vitae curriculo, quod hucusque in literis et inprimis in arte medica colenda emensus est, his verbis exposuit.

Natus sum Dresdae, anno huius seculi secundo, patre Benjamine Friderico Ermel exactore vectigalium Circuli (Kreissteuereinnehmer), et matre Christiana Henrietta e gente Fischeriana. Sed cum iam puero patrem pro dolor! praematura mors eripuisset; matri soli, quam ut Deus Optimus Maximus per multos adhuc annos mihi conservet, pius precor, mea educatio erat commissa.

Primis religionis ac litterarum elementis, a Viris Reverendis b. Fiedlero, Sauero, Pilzjo, imbutus sum. Anno huius seculi decimo septimo discipulis Scholae Crucianae, quae Dresdae floret, adscriptus, per sexennium Viris Optimis, Groebelio rectore, Baumgarten-Crusio Conrectore, Heydero, et Wagnero magistris usus sum; quorum memoria mihi semper sancta erit.

Anno millesimo octingentesimo vicesimo tertio, artis medicae discendae causa, in almam literarum Universitatem Lipsiensem me contuli, atque ab Exp. BECKIO, tunc temporis Rectore Magnifico, inter cives academicos receptus sum. Frequentavi nunc praelectiones philosophicas Exc. KRUGII, physicas b. GILBERTI et b. MOLLWEIDII, chemicas b. GIL-

BERTI et Exp. ESCHENBACHII, botanicas, zoologicas et mineralogicas Exp. SCHWÄGRICHENII, anatomicas Exp. WEBERI atque Exp. BOCKII, physiologicas Exp. WEBERI. In encyclopaedia et methodologia medica Exp. PUCHELTUM, in pathologia Exp. KÜHNIIUM et Exp. WENDLERUM, in anthropologia Exp. HEINROTHUM, in anatomia pathologica Exp. CERUTTIUM, in materia medica Exp. HAASIUM secutus sum. Porro audiui de arte obstetricia et de mulierum morbis Ill. JOERGIUM, de therapia Exp. HAASIUM atque Exp. CERUTTIUM, de morbis oculorum Exp. KÜHNIIUM et Exp. RADIUM, de pharmacia Exp. ESCHENBACHIIUM disserentes. Chirurgiam et theoreticam et practicam Exp. KUHLIUS mihi tradidit. Ab Exp. KÜHNIO medicinam forensem, ab Exp. HASPERO historiam medicinae pragmaticam et literariam accepi. Exp. HAASIUS etiam examinandi me de rebus therapeutiis ac pharmacologicis suscepit curam.

Scholam clinico-chirurgicam sub auspiciis Ill. CLARI, Exp. KUHLII atque Exp. WENDLERI, artem obstetriciam practicam, duce Ill. JÖRGIO in instituto Trieriano, et denique institutum policlinicum sub moderamine Exp. CERUTTI, per annum et quod excurrit, frequentavi. Per hiemem autem praeterlapsam clinico ophthalmico, cui Exp. RITTERIUS praeest, interfui. Quibus praeceptoribus omnibus me obstrictissimum esse gratus profiteor.

Examen pro baccalaureatu, anno vicesimo quinto huius seculi, practicum vero, quod rigorosum dicunt, mense Augusto huius anni, feliciter superavi.

Cum Candidatus Praenobilissimus utroque examine eam et theoreticam, et practicam medicinae cognitionem Ordini Nostro exhibuisset, ut, qui ad summos medicinae honores capessendos admitteretur, dignus iudicaretur, disputationem inauguralem exhibere iussus est. Huius argumentum a *Cyanosi* repetiit. Dies disputationis publicae erit d. VII. mens. Decembris praeside Viro Excellentissimo et Experientissimo KÜHLIO, Collega Amantissimo, quo quidem actu publico rite absoluto ego fungar Cancellarii universitatis nostrae vice atque more apud nos recepto post brevem habitam orationem tribuam Candidato Praenobilissimo Licentiatum honorem, qui Ipsi ad summos in arte medica atque chirurgia impetrandos honores quodammodo viam pandit.

Cui quidem solemnitati academicae splendor haud exiguus accedet, si RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCIPES SERENISSIMI, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES DENIQVE AESTVMATISSIMI eam praesentia sua ornare velint.

P. P. Domin. I. Advent. Jesu A. R. S. cIdcccxxvii.

L I P S I A E

LITERIS STARITZII, TYPOGR. VNIVERS.






60.

ULB Halle 3
004 997 522







GOTTLOB KÜHN

PATHOLOGIAE PROF. PVBL. ORD.

ET

S LITERARVM LIPSIENSIS

H. T.

CELLARIVS

TRIN MEDICAM

IN

ORIO IVRIDICO

EMBRIS A. R. S. MDCCCXXVII

LEBRANDAM

INDICIT

um medicorum recentium.

VIII.

2

